

stros, quos non ab re euocari feceramus, aduenisse; verum, quod actum non est, reformari iterum satis commode potest. Nos quidem Segnie, diuinitate fauente, in festiuitate B. Katharinae Virginis proxima omnino esse decreuimus, quo denuo euocauimus Ambaxatores omnium Dalmatiae ciuitatum; illuc quoque suos cum pleno, largo et sufficienti mandato nobiscum tractandi communitatemque vestram obligandi fidelitas Vestra procul dubio transmittat. Sic omni ex causa legitima volumus et iubemus. Datum in Themisuar die XXVI. Octobris. Anno Domini MCCCXCVII.

Ex archiuo ciuitat. Traguri. Lucius. Memorie di Traù. In Venetia MDCLXXIV p. 365.

### CXXI.

Anno 1397. Budae.

Sigismundus Rex insulas Chersum et Absarum, ab Elisabetha Regina magistro Joanni Saracheno datas, Nicolao Gara, Bano, donat.

Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatiae etc. ac Marchio Brandeburgensis etc. memorie commendamus per presentes: quod Magistris Blasio et Michaeli, filiis Magistri Joannis Saracheni de Meszthegeu, coram nobis personaliter constitutis, per eosdem propositum exstitit uniformiter pariter et relatum, quomodo ipsi quasdam litteras patentes quondam Serenissime Principis Domine Elisabeth Regine felicitis reminiscencie Socrus nostre, factum Donationis cuiusdam Insule Kersi et Abseri nuncupate, ampnibus Pellagi vallate, in dicto Regno nostro Dalmatie situate, nunc Magnificis viris Nicolao de Gara, Dalmatie et Croatiae ac Sclavonie Regnorum nostrorum Bano, et Johanni ejus Germano, filiis condam Nicolai Palatini, per nos perhempniter collate, clare concernentes, dudum preannotato Magistro Johanni Saracheni et suis fratribus vigoroze emanatas, per ipsosque in laribus et scriniis paternis indilate requirendas, et quamprimum receptas in specie assignare ipsis Nicolao Bano, et Johanni Germano suo in solidum assumpsissent, una spoponderunt et assumpserunt eorum Nobis presentium patrocinio, eorumque ultronea voluntate mediante. Datam Bude, feria secunda proxima ante festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem Millesimo Tercentesimo Nonagesimo septimo.

Auth. Transsumptum in Archivo Regni Croatiae.